



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CLVI. Differentia 37. Secundùm leges exceptio adulterii contra maritum
non prodest vxori, cum accusator ad pœnam civilem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Secundum leges exceptio adulterii contra maritum non prodest uxori, cum accusatur ad poenam civilem *l. si uxor. 13. §. Iudex. ff. De adul.* sed secundum Canones prodest, in foro Ecclesiastico, cum ad separationem thori agitur *c. intelleximus. De adul. c.*

I. de ord. cognit. Galvanus 76.

IN c. Intelleximus. De adul. & stupro mulier quaedam à viro adulterij accusata, replicavit in ipsum; quod fuerit fornicatus. Vnde DD colligunt apud *Barb.* quod uxor accusata de adulterio, de ipsius mariti adulterio excipere possit. *Covar. De sponsal. par. 2. c. 7. & alij, intellige, cum agitur ad separationem thori. Sanchez l. 10. Disp. 5. n. 2. & Disp. 8. n. 29. vel ad dotis & donationis propter nuptias amissionem. Quamvis enim uxor de adulterio accusata dotem ac donationem propter nuptias amittat, potest tamen contra virum excipere de eodem adulterio, & sic unius adulterium cum altero compensare: eaque exceptio etiam post litem contestatam deduci potest. *Covar. teste lo. cit. par. 6. Sanchez l. 10. Disp. 6. n. 12. & Disp. 9. num. 25. Laym. l. 5. Tr. 10. Par. 3. c. 7.**

II. Quod verò *Galvanus* exceptio nem adulterij non prodesse uxori accusatae ad poenam civilem dicit, ab aliis DD non recipitur per *text. l. si uxor 13. §. Iudex. ff. De adul.* Vbi iudici praescribitur attendendum, an maritus pudicè

vivens mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit. Periniquum enim videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet. Quae res potest & virum damnare. Quod si ex ipsius vinculi matrimonialis, & fidei natura argumentum sumere licet, cum illud in utroque coniuge parem vim habeat, eadem non servantis culpa & reatus erit,

III. Sed *Galvani* opinio legum auctoritate roboratur, quae viro accusante uxorem criminaliter non admittunt exceptionem similis adulterii in viro, quia in tali accusatione dispares sunt, cum multò turpior in femina, quam viro impudicitia sit. *l. 1. C. ad. l. Iul. De adult. Anton. c. fin. num. 5. De adult. Covar. Sotus, Ledesma, Penez apud Sanch. l. 10. Disp. 8. n. 33. & 34. Navar. Consil. l. 4. et. De divort. Conf. 3. Canis. in Sum. l. 3. cap. 18.*

Ioan. de la Crux in Direct. et. De Matrim. Q. 5. dub. 4.

* *

*